[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capítulos [illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] de la [illegible]
[illegible] del [illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

Este libro usado
FUE DESINFECTADO
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
[illegible]RUIDO POR EL COMPRADOR

JCB
18-323

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS,

PERMAGNO IN N. CAPITVLARI SS. PARENTIS N. Dominici Mexicano Cœnobio, die ſexta Maij anni ab Orbe redempto ſeptingenteſimi quadrageſimi primi ſuprà milleſimum, habiti, atque celebrati,

SVB R. adm. P. N. M. F. FRANCISCO LOPEZ, prædicti Conventus Priore, totius Provinciæ Vicario Generali, ac in præſenti Capitulo pleno calculo ad venerabundum Provincialatus evecto faſtigium.

DEFFINIENTIBVS VNA CVM IPSO RR. adm. PP. NN. Fr. Bernardo de Eſpinoſa, Magiſtro, & S. Auguſtini Palpàn Vicario, primo Deffinitore; Fr. Joanne de Alvarado, Magiſtro, Doctore Theologo, in Mexicana Academia Angelici N. Doct. Cathedratico proprietario, Stæ. Inquiſitionis Qualificatore, in hoc Imperiali Conventu Studiorum Generalium Primario Regente, ſecundo Deffinitore; Fr. Joanne Ignatio del Clavo, Præſentato, Sti. Officij Qualificatore, tertio Deffinitore; Fr. Albaro Garcia de Ambas, Prædicatore Generali, Domus N. S. Joannis Baptiſtæ de Tenanco Vicario, quarto Deffinitore; primo, & quarto ex natis in Hiſpania, ſecundo, & tertio ex natis in Indijs.

MEXICI: Ex-Regali Summæ Adminiſtrationis, Sacrorumque Librorum Typographia, apud D. Mariam de Rivera, in publicà vià de Empedradillo. Anno MDCCXLI.

RPJCB

IN NOMINE

SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS,

Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Almæque Matris Intemeratæ Virginis MARIÆ, SS. necnon P.N. DOMINICI, atque cunctorum Cælitum. Amen.

ABSOLUTIONES.

ABſolvimus in primis omnes Conventuum Suppriores, ac quarumcumque Almæ N. Jacobeæ Eparchiæ Domorum Vicarios.

DENUNTIATIONES.

DENUNTIAMUS P.V. Rmæ. quòd cum R. adm. P. N. M. Fr. Nicolaus Guerrero, Regia pro Univerſitate Doctor Theologus, ac Sancti Officij Qualificator, Provincialatus jam quadrienij metæ finitimus, inſcrutabili Dei providentia è vita migraſſet: noſtræ Almæ Provinciæ ob id talis muneris obtigit vacantia. Quam ob rem, tàm ſecundùm noſtrarum Conſtitutionum decreta, præſertim diſt. 2. cap. 3. quam ſecundùm ſpecialem ordinationem pro hac noſtra Mexicea Eparchia, latam à Rmo. P. N. Mag. Generali Fr. Nicolao Rodulfo, Paririjs datam die vigeſima Auguſti anno 1632. in Provinciali noſtræ Provinciæ Capitulo anno elapſo 1633. obtemperatam: R. adm. P. N. M. Fr. Franciſcus Lopez, Sancti Officij Qualificator, ad altum Prælaturæ culmen deſignatione, & exercicio Vicarij Generalis prædictæ Provinciæ fuit erectus: utpote actualis Prior Imperialis S. P. N. Dominici Mexicei Conventus, in quo futuri tunc Capituli indictio, in anteacto fuerat ſtata. Eique in prædicti Cœnobij Capitulo per

campanulæ ſonum convocato, ſicut & in omnibus alijs Almæ noſtræ Provinciæ Conventibus, & Domibus omnes debitam preſtitere obedientiam, & eum tamquam verum, ac legitimum agnovere Vicarium. Atque adeò declaramus, ſi opus eſt, omnia acta per prædictum R. adm. P. N. M. quondam Priorem, & Vicarium Generalem valida, & rata fuiſſe, ſingularique prudentia diſpoſita.

Denunciamus P. V. Rmæ. quòd die ſexta Maij adhùc currentis anni, præmiſsis omnibus de jure, & more ſervandis, Præſide dicto R. adm. P. N. M. Fr. Franciſco Lopez, nupèr nominati Cœnobij Priore, ac hujus noſtræ Provinciæ Vicario Generali, alacri omnium vultu, concordi, pleno, ac liberrimo vocalium, & electorum calculo, ſupremum fuit ad Provinciæ provectus faſtigium, idemmet R. adm. P. N. Fr. Franciſcus Lopez, in Hiſpania natus ſecundùm alternativæ legem, in Sacra Theologia Magiſter, Sanctæque Inquiſitionis Qualificator. Quem ſapientia virum, benignitate, religione, rectitudine, alijsque maturi gubernij inſitis naturæ donis decoratum, non ſolùm frequens procerum, ac magnatum hujus imperialis Urbis plauſus; ſed etiam uniformè cunctorum ſtudium, eorum præſertim, quibus aliquando præfuit, clamitant. Sicque ſingulorum animos gratantèr allexit, ut tota noſtra Prædicatorum Provincia, ejus ſub regimine uberi ſe credat in Domino ſublevanda profectu. Quamobrem à P.V.Rma. hujuſmodi electionem confirmare humilitèr rogamus, ac petimus.

Denuntiamus P. V. Rmæ. ſuas recepiſſe litteras, die 19. Aprilis anni elapſi 1738. exhibitas, quibus N. adm. R.P.M. Fr. Nicolai Guerrero, electionem confirmare V. Rma. dignatur: quas hilari omnium vultu, & ſingulari gaudio acceptamus. Ac poſtea litteras alias patentes ſub eadem die, quibus hos, prout ſequuntur, ad gradus promovere juvet. Ad Magiſterium titulo lectionis R. adm. P. N. Præſ. nunc Priorem Provincialem Fr. Franciſcum Lopez, in Hiſpania natum, in loco vacanti ob mortem R. adm. P. M. Fr. Michaelis de Higuera, in Indijs nati.

Ad Præſentaturæ verò gradus titulo lectionis R. P. Lect. Fr. Antonium Claudio de Villegas, in loco vacanti ob mortem R. P. Præſ. Fr. Joſephi Lozano. R. P. ex Lect. Fr. Joannem de Arzeniega, in loco vacanti ob aſſumptionem ad Magiſterium R. adm. P. N. M. Fr. Franciſci Lopez. Ad hujuſmodi gradum titulo prædicationis R. P. Præd. Gen. Fr. Antonium de Eſcobar, in loco vacanti ob mortem R. P. Præſ. Fr. Joſephi Moreno. Ad Magiſterium deinde titulo prædicationis ipſum R. adm. P. Præſ. Fr. Antonium de Eſcobar, in loco vacanti ob mortem R. adm. P. M. ex Prov. Fr. Franciſci Xaverij de Avilez, & Souſſa: omnes ex natis in Indijs. Ad prædicaturarum demum gradus titulo linguæ Mexicanæ R. P. Fr. Emmanuelem Ximenez de Ciſneros, in Hiſpania natum, in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Raymundi Delgadillo, indianum. Titulo Conventuum R. P. Fr. Philippum Ceſarini, in loco vacanti ob aſſumptionem ad Præſentaturam R. P. Præd. Gen. Fr. Antonij de Eſcobar. R. P. Fr. Albarum Garcia de Ambas, in loco vacanti ob aſſumptionem ad Præſentaturam R. P. Præd. Gen. Fr. Antonij Navarro, pro Conventu N. Sanctæ Mariæ de Pietate: omnes ex natis in Hiſpania. R. P. Fr. Iſidorum Sanchez de Leon, in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Laurentij Diaz. R. P. Fr. Emmanuelem Zeballos, in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Joannis de la Peña, pro Conventu N. Sanctæ Crucis de Zacatecas. R. P. Fr. Andream Saenz, in loco vacanti ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Simonis de Zepeda, pro Conventu N. Guadalaxarenſi Sanctæ Mariæ del Roſario: omnes in Indijs natos. Quæ illicò obtemperatas, atque acceptatas denuntiamus.

Denuntiamus etiam P. V. Rmæ. ſummo omnium gaudio, ac inenarrabili lætitia acceptatas eſſe litteras, ſub die 28. Aprilis anni 1736. exhibitas, quibus P. V. Rma. certiores nos facit de ſentenctia lata à Sacra Rituum Congregatione, & confirmatione à SS. Clemente XII. fœlicis recordationis ſuper culto immemorabili Beati Benedicti Papæ XI. quondam noſtri

Or-

Ordinis Generalis Magiſtri : nécnon de Tranſlatione Corporis Sancti Petri Martyris, quam mira præſeſſere prodigia. De quibus omnibus uberi lætitiæ ſenſu congratulamur, ac divinæ bonitati perſolvimus grates, illicò executioni mandantes, quæ pro gratiarum actione P.V.Rma.maturo nobis præcepit conſilio.

Denuntiamus P. V. Rmæ. huicſine apulliſſe Provinciæ patentes alias litteras ſub die 31. Januarij anni elapſi 1739. exhibitas, quibus ſequentes ad gradus promovere P. V. Rma. dignatur. R. P. Præſ. Doct. Theologum, Sancti Officij Qualificatorem Fr. Emmanuelem Romualdum Dallo, ad Magiſterium titulo lectionis in loco vacanti ob mortem R. adm. P. M. Fr. Antonij Gorjon. Ad Præſentaturam titulo lectionis R. P. ex Lect. Fr. Joannem de Eſtrada, in loco vacanti ob aſſumptionem ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Emmanuelis Romualdi Dallo. Ad Prædicaturam Generalem tilulo linguæ Mexicanæ R. P. Fr. Franciſcum Condarco, in Conventu noſtro S. Joannis Baptiſtæ de Coyoacàn Parochum, ac Miniſtrum, in loco vacanti ob mortem R.P.Præd. Gen. Fr. Petri de Roa: omnes in Indijs natos. Quas pro omnibus acceptavimus.

Denuntiamus inſimùl P. V. Rmæ. Nos alias patentes litteras recepiſſe, die 4. Aprilis ejuſdem anni 1739. exhibitas, quibus ſequentes ad gradus promovet. Ad Magiſterium titulo prædicationis R.P.Præſ.Fr.Franciſcum Molina, in loco vacanti ob mortem R.adm. P. M.Fr.Joſephi de Arroyo. Eodem titulo ad Præſentaturam R.P. Præd.Gen.Fr.Joannem Bapriſtam Surianum: utrumque in Hiſpania natum. Quas pro omnibus acceptas denuntiamus.

Denuntiamus etiam P. V. Rmæ. Regias ad Nos perveniſſe litteras Catholicæ Majeſtatis Philippi V. Regis noſtri, ſub die 12. Julij anni elapſi 1739. exhibitas, quibus nobis præcipit noviter,quòd jam diù ſub alijs,datis die 7.Novembris anni 1693 ſanxierat : nimirùm in quodlibet Conventu noſtro octo ad minùs Religioſos permanenter exſtituros ; ſinminùs eorumdem Priores ſuffragio in capitulis provincialibus privati. Quas tunc

in Actis Capituli Provincialis celebrati anno 1697. V. Rmæ. P. denuntiavimus, ſicuti & modo obtemperatas denuntiamus.

Denuntiamus denique P. V. Rmæ. quod die decima Maij poſt præſentis Capituli celebrationem, hora octava manè citatis Vocalibus, ac convocatis, uti juris eſt, proceſsimus ad eligendum canonicè pro Capitulo Generali Deffinitorem, inſimùlque Procuratorem pro Alma, & Matritenſi Curijs ad pertractanda Provinciæ noſtræ urgentiora negotia: ſicque per vota ſecreta ad hæc ſubeunda munera electus fuit R. adm. P. Mag. Doct. Theologus, Sancti Officij Qualificator Fr. Emmanuel Romualdus Dallo, quem ad hæc, & majora novimus expeditiorem. Quam electionem utpote numeris omnibus abſolutam à V. P. Rma. aprobari petimus, atque confirmari.

ORDINATIONES, ET PRÆCEPTA.

ORDINAMUS ad majorem noſtræ Provinciæ incrementa incumbentes, quod nullus Patrum qui fidelium confeſſiones audiendi licentiam non obtinuerit, poſsit alia gaudere aſsignatione, niſi in hoc Imperiali SS. P. N. Dominici Cœnobio, vel in Strictioris Obſervantiæ S. Mariæ de Pietate Conventu.

Ordinamus etiam, quòd Parochi, & Coadjutores ſingula in ſeptimana myſteria Sanctæ Fidei, & alia ad ſpiritualem ſalutem ſpectantia, fidelibus explicent, ac doceant. Necnon præcipimus, quòd in omnibus Conventibus, & Domibus curæ noſtræ ſubjectis, curatis, vel non, Prælati, Parochi, & Coadjutores nimia invigilent curacitate, ut recitetur aſsiduè ſacroſanctum Deiparæ Pſalterium, & quòd in qualibet Dominica prima cujuſlibet menſis proceſsionalitèr progrediatur ad veſperam, etiam in hoc noſtro Imperiali Conventu. Hæc enim duo ex præcipuis viſitationis punctis erunt futura.

Ittem, præcipimus, & ordinamus, quòd quarumcumque noſtratum Domuum Prælati, Priores, ac Vicarij vigilantèr proſpiciant, nè Religioſi ſibi ſubditi, cujuſcumque ſint dignita-

tis, & conditionis, utantur cappis alterius coloris, quam nigri, nec in aliquo ſacri, ac religioſi noſtri indumenti formulæ deficiant. Et quòd, cum illis induantur non ita album noſtrum interiorem habitum tegant, ut non Religioſi proſpicientibus appareant, maximè ſæcularibus, quos enixè ſancto, poſt nos, odore trahere debemus. Præcipimus necnon Prælatis omnibus, ut nimia vigilent ſolicitudine, ut ſecundùm noſtras leges aſſuetis horis Domus unicuique concreditæ claudantur portæ.

Ordinamus etiam, quòd nullus Fratrum ad ſacrum Præsbyteratus ordinem promoveri poſsit, niſi priùs Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs ſecundùm Sacra noſtrarum Conſtitutionum decreta, & Generalium Capitulorum Acta, maximè Gen Bolon. in ordinationibus pro hac noſtra Provincia num. 4. ſub Rmo. Cloche Mag. Gen. die 13. Maij anni 1706. celebrati, terminum impoſuerit. Quòd inviolabilitèr, & indiſpenſabilitèr obſervari præcipimus.

Ordinamus necnon, ac præcipimus, quòd nullus Fratrum, qui ad Præsbyteratus ordinem aſcenderit, poſsit primam celebrare Miſſam, niſi priùs de inſtructione, & ſufficientia in noſtri ritus cæremonijs Magiſtro Cæremoniarum ſatis conſtet, qui, ſi aliquem prædictæ ordinationi nimis, ut æquum eſt, non invenerit adſtrictum, R. adm. P. N. Priorem Provincialem certiorem faciat, cujus arbitrio committimus pœnas tranſgreſſoribus infligendas.

Item, ut Sanctimoniales Conventus S. Catharinæ Senenſis, curæ noſtræ ſubjectæ, Chriſti bonus odor effici aſſequantur, ordinamus iterùm, & mandamus, quòd nullus audeat à prædictarum Monialium Prælatis licentiam efflagitare, ut ſolutæ, aut maritatæ fœminæ prædictum ſint ingreſſuræ Cœnobium. Et quòd in prædicto Conventu orphani, aut puellæ parentibus cognitis orbæ minimè recipiãtur. Quòd ut fuſsius pateat. *Mandamos à la R. M. Priora de Santa Catharina de Sena, que es, ò por tiempo fuere, continùe la negacion de ingreſſo, y el no impetrar licencia para ello en dicho Convento à qualquiera muger caſada, ò ſoltera,* de

de cuyo ingreſſo pierda la clauſura ſu antiguo luſtre, y explendor. Como tambien mandamos no ſe reciban en dicho Convento niños expueſtos.

Item, N. Imperialis Conventus Miſſarum gravaminis proſpicientes levamini, præcipimus, & ordinamus: quòd unuſquiſque noſtræ Provinciæ Patrum, etiàm ad Conventus NN.SS. AA. Petri, & Pauli Civitatis Queretarenſis, Sanctiſsimæ Virginis Mariæ del Roſario Civitatis Guadalaxarenſis, ac Sanctæ Roſæ de Sombrerete aſsignatorum: quinque ſuprà viginti Miſſas teneatur pro ipſo ſingulis annis celebrare; exceptis ſolùm, qui ad Conventum N. Stæ. Crucis de Zacatecas ſpectant; hi enim ad duodecim tantùm celebrandas annualitèr Miſſas obligabantur.

Denique, ut toto obſervetur rigore, quòd à nobis, atque ſacris in noſtris legibus ſub gravibus pœnis, & cenſuris ſancitum eſt: nimirùm, quòd nullus audeat Ordinis noſtri ſecreta ſæcularibus revelare, ex quo magna dedecora habitui noſtro fuerunt oborta: ordinamus, & præcipimus, quòd, qui ſcierit quemquam noſtrum, cujuſcumque fuerit dignitatis, & conditionis, præſenti contravenire determinationi, ſub termino trium dierum peremptorio, illicò R. adm. P. N. Priorem Provincialem certiorem faciat; ſi enim aliquem prædicta ſcire, & tamen denuntiationi deſficere, invenerimus, illi tempore quatuor menſium recluſsionis pœnam applicabimus, atque alias, quas R. adm. P. N. M. Prioris Provincialis arbitrio relinquimus.

SUPPLICATIONES.

ENIXE ſupplicamus P. V. Rmæ. quòd huic noſtræ Provinciæ tempus recitandi media nocte Matutina diſpenſare dignetur: prout jam dudum Provincia noſtra privatim paternali veſtræ benignitati demiſsè ſupplicarat; in dies quippe irrogatæ nobis noxitudines, ac detrimenta adaugeri experimus; nam præterquam, quòd tùm ineis victuum debilitas, tùm immoderata occiduæ hujus regionis temperies permagnam robuſtiori

vale-

valetudini inferrent jacturam: Imperiale N. principale Cœnobium, in caſſum modò pronum atque partim neceſſarijs prorſus orbatum tectis, in dies incommoda cumulat ibi degentibus: quorum pars aſsiduis intemperiei præcepta infirmitatibus, pars infirmorum oneroſo præpedita miniſterio, choro adeſſe excuſantur legitimè: atque notabilitèr Communitatem decreſcere novimus experimento. Ab his igitur iteratis incommodis nos paternalem V. Rmæ. benignitatem liberaturam eſſe ſpectamus, maximè, cum grata ſemper erga nos V. Rmæ. clementia repetitis ſuper hoc ſupplicationibus firmam, ni fallimur, tribuerit aliquando aſſecutionis ſpem.

Supplicamus etiam N. Rmo. Mag. Generali, quòd R. P. Præd. Gen. Fr. Emmanueli Ximenez de Ciſneros, diſpenſationem, & indultum concedere dignetur, ut poſt ſexenium confumptum, propter rationes P. V. Rmæ. à Provincia noſtra expoſitas, in Strictioris Obſervantiæ Sanctæ Mariæ de Pietate Cœnobij Prioratu: iteratò inibi valeat eligi. Ipſius enim longe ab hinc annis prædicto exercitio aptitudinem, ac idoneitatem novimus experimento; ardenti quippe zelo, ac ſingulari cura haud ſolùm extremam ibi Templi operi manum addidit; ſed etiam interiùs præſioſis, ac varijs argenteis ditavit pignoribus; quin hoc ipſi, gregi ſibi concreditæ proviſſuro, ad regularis noſtrarum legum obſervantiæ vigorem, nec leve unquam fuerit obſtaculum.

Supplicamus etiam P. V. Rmæ. quòd non ſemel à veſtra benignitate Provincia noſtra eflagitarat, nimirùm, quòd annuales Angelopolitani N. Collegij impenſas, quas Emin. quondam Generalis Mag. Card. de Pipia ad portandos ex Hiſpania in hanc Provinciam Religioſos deſtinavit; hujus N. Imperialis Conventus impendijs P. V. Rmæ. applicare dignetur. De arcta ſiquidem noſtri Cœnobij his temporibus egeſtate jam diù V. Rmam. certiorem fecimus: & hanc denuò tàm altæ exponimus compræhenſioni, ut nobis benignitèr de more proſpiciat.

Suppl i

Supplicamus inſimùl P. V. Rmæ. quòd benignis oculis dignetur proſpicere cauſæ R. P. Fr. Joannis de Zeballos, qui coram nobis miſericordiam eflagitans in Deffinitorio perſonalitèr comparuit: ac nos pietate commoti, Provinciæ tranquilitati, atque fraternæ conſulentes charitati, illo miſericorditèr providimus: licet hæc miſeratio in omnibus, maximè in ordine ad Prædicaturæ Generalis gradum ſpectatæ V. Rmæ. P. pietati libentèr ſubijciamus.

Denique ſupplicamus V. Rmæ. P. ut PP. Lectoribus Fr. Michaeli Rodriguez, in Hiſpania nato, Fr. Antonio de Viar, & Larrimbe, Fr. Antonio Mancilla, ac Fr. Nicolao Troncoſo, computatum habere dignetur pro gradu, & forma tempus abſumptum in legendo, primus Philoſophiæ curſum, quem in Civitate Queretarenſi abſolvit; alij in legendo in noſtro Mexiceo S. P. N. Dominici de Porta Cæli Collegio Theologiam Moralem, priuſquam Philoſophiæ curſum iniciarent, dum Magiſtri Studentium munere exornarentur, quo laborioſo in exercitio ſeſe vigilantèr exercuerunt.

POSTULATIONES.

OBſequentes ordinationibus Emin. noſtri, quondam Generalis Magiſtri Cardinalis de Pipia, pro graduandorum, expoſitionibus, & poſtulationibus, ad id concurrentibus RR. adm. PP. Magiſtris, nobiſcum ſedentibus, atque, ut juris, ac moris eſt, merita judicantibus omnium: expoſitiones, & poſtulationes ſequentium ordinare æquo jure invenimus, ut ex eis P. V. Rma. perfectiores aſſumere dignetur.

PRO PRIMO MAGISTERIO titulo Lectionis.

ACTU vacante ob mortem R. adm. P. M. Fr. Petri Cortès de Siles, ex natis in Indijs exponimus, & poſtulamus: pri-

mo R. P. Præſ. Fr. Nicolaum de Montes de Oca, qui per tres ſuprà viginti annos ſuperabundantèr lecturæ tempus abſolvit, atque Angelopolitanum, & Mexicanum perluſtrans Collegium quaterque Philoſophiæ curſum perlegit, ac varijs in locis pluſquam mille prædicavit Sermones, & ſexageſimum quartum ætatis tetigit annum, & habitus noſtri quadrageſimum quartum.

Secundo R. P. Præſ. Fr. Franciſcum Romo, in Collegio noſtro S. P. N. Dominici de Porta Cæli ſecundùm Regentem, qui per triginta duos annos lecturam exercuit, ex quibus ſexdecim in Regentis exercitio abſumpſit, atque ætatis quinquageſimum ſextum attigit annum, & à receptione habitus computat quadrageſimum.

Tertio R. P. Præſ. Fr. Emmanuelem Varaona, qui ſeptem ſuprà decem annos in lecturæ exercitio abſumpſit, atque ætatis ſuæ quinquageſimum ſeptimum, & receptionis habitus quadrageſimum primum numerat annum.

PRO SECUNDO MAGISTERIO titulo Lectionis.

ACTU vacante ob mortem R. adm. P. N. M. Prioris Provincialis Fr. Nicolai Guerrero, ex natis in Indijs exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Præſ. Fr. Franciſcum Romo, in ſuprà dicto Collegio ſecundum Regentem.

Secundo R. P. Præſ. Fr. Emmanuelem Varaona.

Tertio R. P. Præſ. Fr. Joſephum Didacum de los Rios, qui poſtquam (dum Philoſophiæ, ac Theologiæ operam daret) undecim per vices publicas concluſiones, quas inter unas per integrum diem defendit, lecturæ tempus explevit, præſes cum eſſet duabus adminùs publicis diſputationibus quotannis. In ſtudijs etiam Generalibus Imperialis N. Conventus Regentis primarij munere quondam extitit decoratus. Ætatis habet ſeptem ſuprà quinquageſimum, & habitus noſtri triginta ſeptem annos.

PRO

PRO PRÆSENTATURA TITULO Lectionis.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præſ. Fr. Emmanuelis Vargas, ex natis in Hiſpania exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Lect. Fr. Didacum Maguete, in Hiſpania natum, Conventus N. Sanctæ Roſæ de Sombrerete Priorem, Regentemque primarium, qui octo per annos Lectoris munus exercuit, quo tempore pluribus adfuit præſes diſputationibus, quas inter concluſiones Capitulares Illmo. ac Excmo. D. Pro Regi dicatas defenſavit: atque ætatis quadraginta habet annos, & receptionis habitus unum ſuprà viginti.

Secundo R. P. ex Lect. Fr. Antonium Caſtellanos, Imperialis N. Cœnobij Priorem, bis jam in Actis expoſitum, & poſtulatum cum meritis, quibus pollet, nimirùm Philoſophiam, ac Theologiam perlegiſſe undecim diſcipulorum profectu, ex quibus duo inter Univerſitatis graduatos locum habent, cæterique animarum exercent curam: inſimulque plures, tàm publicas, quàm privatas concluſiones defendit, quin hoc aſsiduæ exercitationis, tùm in Miſsionibus, tùm in audiendis fidelium confeſsionibus labori umquàm obeſſet: ætatis numerat ſeptem ſuprà quadraginta annos, & à receptione habitus triginta duos.

Tertio R. P. ex Lect. Fr. Franciſcum Secundum Guerrero, à ſecretis Provinciæ, qui per duodecim annos, duorum legentium fructu, lecturæ tempus abſolvit, quo in tempore ſex publicis ſeparatim præſes adfuit diſputationibus ac Capitulares defenſavit concluſiones: atque triginta & octo ætatis numerat annos, & habitus noſtri receptionis viginti quatuor.

PRO PRIMA PRÆSENTATURA titulo Prædicationis.

ACTU vacante ob aſſenſum R. P. Præſ. Fr. Franciſci Molina, ad Magiſterium ex natis in Hiſpania exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Præd. Gen. Fr. Bartholomæum Ponze, in

Hiſpa-

Hiſpania natum, qui poſtquam in N. tunc Angelopolitano Col
legio Philoſophiam perlegit, imò & Theologiæ curſum publicis
initiavit concluſionibus, per novem Quadrageſimas, multas
præter conſiones in præcipuis Regni hujus Civitatibus, verbum
Dei expoſuit. Ætatis quinquageſimum primum numerat annum,
& habitus trigeſimum ſecundum.

Secundo R. P. ex Lect. Fr. Joannem Muñoz de Caſtro,
hoc in N. Imperiali Conventu SS. Roſarij Comiſſarium, qui
præter pene innumeras conſiones, duodecim Quadrageſimarum
labore copioſum Deo hac in Urbe, & in Llerenenſi Villa Deo
reddidit fructum, quin hoc Lectoris obeſſet munio. Quinquageſi-
mum jam ætatis tetigit annum, atque habitus noſtri trigeſimum.

Tertio R. P. ex Lect. Fr. Caſimirum de Montenegro,
Conventus N. B. Mariæ del Roſario Civitatis Guadalaxarenſis
Priorem, in qua multos præter Sermones, undecim conſionavit
per Quadrageſimas, etiam coram Regio Senatu, & Eccleſiaſtico
Capitulo. Ætatis jam quadrageſimum quartum agit annum, &
habitus vigeſimum quartum.

PRO SECUNDA PRÆSENTATURA
titulo Prædicationis.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præſ. Fr. Antonij Navarro,
ex natis in Indijs exponimus, & poſtulamus: primo R. P.
ex Lect. Fr. Joannem Muñoz de Caſtro, in N. Imperiali Con-
ventu SS. Roſarij Comiſſarium.

Secundo R. P. ex Lect. Fr. Caſimirum de Montenegro,
Conventus N. B. Virginis Mariæ del Roſario Civitatis Guada-
laxarenſis Priorem.

Tertio R. P. Præd. Gen. Fr. Emmanuelem Zuaſo, Do-
mus noſtræ S. Petri de Tlahuac Vicarium, qui, poſtquam inte-
grum curſum Philoſophiæ in Strictioris Obſervantiæ S. Mariæ de
Pietate Conventu Fratribus legit; hac Mexicana in Urbe octo
per Quadrageſimas, & extra illam per tres, præter pluſquam octo-
gies alijs diebus, conſionavit. Ætatis ſuæ quadrageſimum quin-
tum numerat annum.

PRO

PRO TERTIA PRÆSENTATURA titulo Prædicationis.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præſ. Fr. Iſidori Montaño, ex natis in Indijs exponimus, & poſtulamus: primo R. P. ex-Lect. Fr. Caſimirum de Montenegro, Conventus N. B. Mariæ del Roſario Civitatis Guadalaxarenſis Priorem.

Secundo R. P. Præd. Gen. Fr. Emmanuelem Zoaſo, Domus noſtræ S. Petri Apoſtoli de Tlahuac Vicarium.

Tertio R. P. Præd. Gen. Fr. Joſephum Pizeros, Imper. N. Conventus primum Sacriſtam, qui poſtquam (dum Philoſophiæ, ac Theologiæ in Angelopolitano, ac Mexiceo Collegijs noſtris ſtuderet) ſex publicas ſeparatim utriuſque facultatis defendit concluſiones: ſolùm in hac Mexicea Urbe per novem ſuprà decem Quadrageſimas prædicavit, præter innumeras pene alias intrà, & extrà Civitatem particulares conſiones, talitèr ut continuæ prædicationis viginti quinque enumeret annos. Ætatis jam quinquageſimum primum pertigit annum, & à receptione habitus noſtri trigeſimum ſextum.

PRO PRIMA PRÆDICATURA GENERALI titulo Conventus.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Didaci Nuñez, pro natis in Indijs exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Fr. Marcum Caſtellanos, qui pluſquam per ſeptem Quadrageſimas, varios præter particulares Sermones, conſionavit, ætatisque annum agit quinquageſimum octavum. Hunc enim P. V. Rma. prædicto jam decoraverat titulo, & propter equivocationem, quàm tunc in expoſitionibus paſsi fuimus, minimè potuit illo gaudere.

Secundo R. P. Fr. Joſephum Paredes, qui in hoc N. Imperiali Conventu diù Prædicatoris Conventualis officium obtinuit, ac plures per Quadrageſimas intrà, & extrà hanc Civitatem conſionavit. Ætatis ſexageſimum, atque habitus quadraginta computat annos.

Tertio R. P. Fr. Joſephum Morales, qui poſtquam in Strictioris Obſervantiæ S. Mariæ de Pietate Conventu Fratres per biennum latinam linguam edocuit, plures præter particulares conſiones, ſex per Quadrageſimas hac in Imperiali Civitate indefeſſo labore prædicavit. Ætatis ſuæ jam trigeſimum octavum tetigit annum, atque receptionis habitus octo ſuprà decem.

PRO SECUNDA PRÆDICATURA titulo Miſsionum.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Joannis Cabrera, exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Fr. Joſephum Navarrete, qui adminiſtrationi Sacramentorum apud Indos incumbens, diù præſertim in Quadrageſimis prædicationi operam dedit.

Secundo R. P. Fr. Chriſtophorum Muñoz, in Miſsione noſtra S. P. N. Dominici in Soriano Vicarium.

Tertio R. P. Fr. Ildefonſum Dominguez, in Miſsione noſtra S. Michaelis Archangeli de las Palmas Vicarium. Qui duo Prædicatorum officium inter Indos obtinent modò.

PRO TERTIA PRÆDICATURA GENERALI titulo Linguæ Mexicanæ.

ACTU vacante ob mortem R. P. Præd. Gen. Fr. Antonij Burgos, exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Fr. Nicolaum Guzmàn de Gadèa, in Domo noſtra S. Vincentij de Chimalhuacàn Chalco Vicarium, ac Miniſtrum, qui per plures Quadrageſimas inter Indos indefeſſo labore prædicavit. Septuageſimum jam agit ætatis annũ, & habitus quinquageſimum quartum.

Secundo R. P. Fr. Joannem Diaz Leal, in Conventu noſtro S. P. N. Dominici de Huaztepec Priorem, qui per multos ætatis ſuæ annos prædicatione inter Indos conſumpſit. Ætatis jam tetigit ſexageſimum annum, & habitus quadrageſimum primum.

Tertio R. P. Fr. Michaelem Caraza, in prædicatione pollentem meritis, qui quinquageſimum nonum jam tetigit ætatis annum, habituſque noſtri trigeſimum ſecundum.

SI AUTEM P. V. Rma. AD GRADUS VACATUros, aliquos fuerit dignatus promovere, ſequentes á V. Rma. P. æquo jure eflagitari invenimus.

PRO PRIMA PRÆSENTATURA titulo Lectionis.

VACATURA ob aſſenſum ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Nicolai de Montes de Oca, exponimus, & poſtulamus: primo R. P. ex Lect. Fr. Antonium Caſtellanos, Imperialis noſtri Conventus Priorem.

Secundo R. P. ex Lect. Fr. Franciſcum Secundum Guerrero, à Secretis Provinciæ.

Tertio R. P. ex Lect. Fr. Antonium Sierra, qui præterquam quòd (cum ſtuderet) quaterque publicas concluſiones defendit, in ſuæ lecturæ tempore, quòd jam diù explevit, quotannis unis adminùs diſputationibus publicis hac Mexicea in Urbe præſes adfuit. Ætatis numerat triginta novem, & habitus noſtri viginti quatuor annos.

PRO SECUNDA PRÆSENTATURA titulo lectionis.

VACATURA ob aſſenſum ad Magiſterium R. P. Præſ. Fr. Franciſci Romo, in Collegio N. Mexiceo ſecundi Regentis exponimus, & poſtulamus: primo R. P. ex Lect. Fr. Franciſcum Secundum Guerrero, à Secretis Provinciæ.

Secundo R. P. ex Lect. Fr. Antonium Sierra, Provinciæ Procuratorem.

Tertio R. P. ex Lect. Fr. Joſephum Dominicum de Oſſa, in ſtudijs generalibus Imperialis N. Conventus ſecundum

Regentem, atque N. Tertij Ordinis Magiſtrum Directorem, qui poſtquam (dum Philoſophiæ, ac Theologiæ Præceptoribus operam daret) ter publicas Philoſophiæ Theſes, ac bis Theologiæ, quarum unas per integrum diem defenſavit: ſuæ lecturæ terminum impoſuit, præſes cum eſſet duabus publicis diſputationibus, quarum unæ viginti quatuor præcipuas Theologiæ materias amplexæ fuerunt. Ætatis ſuæ jam trigeſimum ſeptimum tetigit annum, & habitus noſtri vigeſimum primum.

PRO PRÆDICATURA TITULO Conventus.

VACATURA ob aſſenſum ad Præſentaturam R. P. Præd. Gen. Fr. Bartholomæi Ponze, pro natis in Hiſpania exponimus, & poſtulamus: primo R. P. Fr. Petrum Garrido, hujus Imperialis Conventus per quadriennium Prædicatorem Conventualem, qui præter plures conſiones, etiam in majoribus feſtivitatibus, quibus ex munere prædicavit, per ſex Quadrageſimas ſanctum Dei Evangelium fidelibus propoſuit; ætatis habet quatuor ſuprà triginta annos, & habitus noſtri computat decimum ſextum.

Secundo R. P. Fr. Franciſcum Moro de Elexebeitia, qui per varias Quadrageſimas intrà, & extrà hanc Civitatem conſionavit.

Tertio R. P. Fr. Joſephum Paredes.

EXPOSITIONES.

